(St. Omer 666, 44v)

Et tamen iste labor fit forte rebellibus asper
  Ac rigidas leges. effera corda putant.
Non autem grauis est mansueto sarcina dorso.
  Nec ledit blandum mitia colla iugum.
Tota mente deus totalis cordis amari
  Precipitur uigeat ĉura secundi hominis.
Quod sibi quis nolit fieri. non inferat ulli.
  Vindictam lesus nesciat exigere.
Contentus modicis. uitet sublimis haberi
  Sperni non timeat. spernere "nō" soleat.
Parcus. ueri loquax. et mente et corpore castus.
  Insontem uitam. pacis amator agat.
De proprio conuiuis quos cernit egere benignus.
  Non sua non cupiat. que sua sunt tribuat.
Quid rogo mandatis durum censetur in istis.
  Aut quid erit quod non. possit obire fides.
Qui credunt sacros uerum cecinisse prophetas.
  Et qui non dubitant uerba manere dī.
Qui xpm passum penas crucis ultima mortis.
  In toto celsi. patris honore uident.
Qui spe ipsum multa cum maiestate tremendum.
  Expectant pingui lampade peruigiles.
His sordent terrena patent caelestia nec se.
  Captiuos serui. temporis huius agunt.
Non illos fallax cepit sapientia mundi
  Nec curas steriles. inseruere polis.
Imperia et fasces indocti munera uulgi.
  Quasque orbis scelerum. semina fecit opes.
Calcarunt sancta caelū // ambitione petentes

korr!

(172)